

55 textu minimarum rerum, contrafit ejusmodi sanetissimis deliberationibus, et sit removenda omnis materia contrafactionis, vadit pars: quod dicta omnia capitula in unum reducantur et cancellentur et reformatur in hunc modum, videlicet: quod serenissimi principes futuri, dominæ ducisse, filii, nepotes, generi, nurus et quilibet de eorum familia, sit quemque velit, non possit, aliquo modo, forma vel ingenio qui dici aut excogitari possit, per se, vel per aliam interpositam personam, nec in palatio, nec extra, nec Venetiis nec extra Venetias, accipere aliquod presens, seu donum, cuiuscumque precii, valoris et qualitatis, ab aliqua persona, sit quæ velit, sub poena ducatorum 25, pro quolibet ducato valoris dictorum munerum; et commissa sit executio praesentis capituli, in vita serenissimorum principum, illis quibus commissa erat praedicta capitula 42, 43 et 201, hoc est consiliariis, advocatoribus communis et capitibus consilii X, sub debito sacramenti et poena ducatorum 100, pro qualibet vice, qua neglexerint exequi praesentem ordinem et decretum. Cæterum in ingressu dominæ ducissæ in palatum præstetur ei, per consiliarios, solemne juramentum de observando capitulo praedicto; et idem juramentum detur filiis serenissimi domini ducis et aliis omnibus suprascriptis. De parte 1289, de non 23, non sinceri 0.

Alia pars :

In multis capitulis promissionis serenissimi principis provisum est, adeo sapienter et particulariter, ut nil fere addi possit, quod sua serenitas, nec domina ducissa, aut alias de affinitate, consanguinitate et familia sua non possit private commendare aliquem ad aliquod officium, aut beneficium, tam ecclesiasticum quam sæculare, modo aliquo, nec per interpositam personam, seu litteris, nec etiam ad aliquos iudices nostros pro expeditione providendoque, quod illi, qui talia officia seu beneficia consecuti essent, immediate ab advocatoribus removerentur, sine aliquo consilio, provisum quoque fuit similiter, quod nemo de familia sua posset habere aliquod de suprascriptis officiis et beneficiis. Verum, cum dictis provisionibus intelligantur diversimode contrafactum fuisset, ut earum observationi in futurum provideatur, vadit pars: quod singulis annis capita consilii nostrri decem, quibus etiam commissa sit executio dictarum provisionum, teneantur, in maiori consilio, secuturo, post festum Sancti Hironimi, in die festivo, accedere ad praesentiam serenissimi principis,

et illi præstare solemne juramentum, super missali, de observandis tam suprascriptis, quam omnibus aliis capitulis suæ promissionis; et insuper ipsa capita inquirere debeant, sub debito sacramenti, si in aliqua parte ipsius promissionis a serenissimo duce fuerit contrafactum, et reverenter admonire suam serenitatem de tali contrafactione, ut in posterum ab ea abstineat; quod si non fecerit, capita consilii decem, qui per tempora fuerint, teneantur, sub eodem debito sacramenti, convocari facere consilium suum, absente serenissimo principe, et in eo proponere, non solum retractationem earum, quæ facta fuissent contra præmissionem suam, verum etiam provisiones necessarias ad hoc, ut idem serenissimus princeps ab 56 huiusmodi contrafactionibus desistat. Præterea addetur praedictis capitulis, quod si aliquis rector noster ad requisitionem serenissimi principis, aut alieuius alterius ex super specificatis, de affinitate, consanguinitate et familia, secum duxerit aliquem vicarium, iudicem, cancellarium, aut aliquem alium officiale suum, quocumque nomine nuncupetur, sit privatus per quinquennium omnibus regiminibus, officiis et consiliis intus et extra, et cadat ad poenam ducatorum tercentorum auri, pro quolibet, ab eo, irremissibiliter auferendorum a nostris advocatoribus, in vita principis, et similiter a capitibus consilii X et quolibet eorum; post mortem vero a tribus eligendis juxta formam partis nunc captæ; et ultra hoc ille vel illi, qui accederent cum ipsis rectoribus pro ejusmodi officiis, interveniente intercessione praeditorum, sint privati, per decennium, omnibus officiis et beneficiis Dominii nostri; et ad eamdem poenam cadant omnes officiales et magistratus huius civitatis nostræ Venetiarum, qui ad instantiam praeditorum eligerent aliquo modo ad aliquod officium; electio vero nulla sit et electi cadant ad eamdem poenam, si ingredientur in officium.

Et questo fo messo per li coretori ; ma sier Hironimo da cha' da Pexaro, sier Marco Antonio Morexini, el cavalier, consieri, sier Polo Dandolo, sier Marco Navajer, capi di 40 ; volunt partem suprascriptam cum additione, quod commitatur tribus eligendis post prandium, pro rebus præteritis, quod omnes illi, qui adepti fuissent officia, seu beneficia, per privatam intercessionem serenissimi principis, aut aliorum suorum, sive etiam contra formam præmissionis suæ, illico removere debeant et privare ipsis officiis, sicut per continentiam et ordinationem capitulorum dictæ præmissionis fuit provisum. De parte 1175, de no 4, non sinceri 7.